



Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An Missa sit sacrificium, aut testame[n]tum, an promissio remissionis
peccatorum, aut opus bonu[m]. tit. 107

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

TITVLVS CVI.

281

tranquillam & placidam agere valeamus in omni
pietate & iustitia. Nā hoc salutare est, & acceptū Deo
saluatori nostro, qui vult omnes homines saluos fie-
ri, &c. Sic etiam pro statu spirituali, ne sectæ, dissensi-
ones & hereses crescāt inter illos, sicut orat etiam A-
postolus Roman. 15. vt Deus det idipsum sapere, &c.

Tertio, orat sacerdos in Missa pro specialiter com-
missis personis viuis & defunctis, dicens: Memento
Domine famulorum famularumque tuarum. Sic Bea-
ta Monica rogat Augustinum filium, vt illius memo-
riam habeat circa altare, libr. 9. confessionum. Et
Christus Ioan. 14. post cibationem Sacramenti facit
longum sermonem & multas habet petitiones in eo-
dem August. Epist. 95. quōd oratio in Missa est effica-
cissima, quia vñā cum filio in ea coram facie Dei ap-
paremus, ac si quis cum filio regis coram patre appa-
ret, is eo citius exaudiretur & cæt. licet etiam alia
suffragia prosunt extra Missam, attamen hæc efficaci-
or est: sic quoque orat pro circumstantibus, & circu-
stantes etiam orant, & se Deo offerunt petentes mi-
sericordiam propter Christum. Vndē sacerdos etiam
omnes orationes concludit propter Christum.

Ioan. 15. 16.

17.

*AN MISSA SIT SACRIFI-
CIIUM, aut testamentum, aut promissio re-
missionis peccatorum, aut opus
bonum.*

TITVLVS CVII.

Rimò, contra festarios hoc cum catho-
lica Ecclesia est credendum & tenendū
quōd missa sit sacrificium verum, non
pœnale crucis & sanguinolentum, sed
verum, mysticum, & alio quodam mo-
do, quam erat crucis. Secundò, Missa non est testamē-
tum,

tum, sed noui testamēti confirmatiuum. Tertiō, Mi-
sa non est promissio remissionis peccatorum, neen-
mittit peccatū, sed fides, quæ credit in Christū. Quo-
to, quod Missā sit opus bonum & à Domino prae-
putum & ordinatum. Hæc omnia tradit Catholicae
clesia contra sectarios & persecutores Missæ, &c.

Primò, Christus le ipsum semel obtulit cruento &
poenali modo in cruce pro peccatis totius mundi &
salute omnium fidelium. Hebr. 9. semel introiuit
sancta. Coloss. 2. Delens chirographum, id est, ac-
cusationem legis, & affixit illud cruci. Esai. 53. obla-
tus est. Et 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccata-
tio[n]is, tali modo in æternum non amplius offertur.
Roman. 6. Amplius non moritur. hoc solum & vi-
cum est sacrificium propiciatorium, & manet usq[ue]a
diem nouissimum efficax. Ideo omni die dicimus &c
cè agnus Dei, &c. Ioan. 1. Secundo modo offerimus
Christum patri, secundum morem Melchisedech,
Psalm. 109. sub speciebus panis & vini, non vt si no-
stra oblatio mereatur remissionē peccatorum. (Hoc
semper saluum manet illi vnico sacrificio, quo sa-
ipsum Christus obtulit) sed ad memoriam illius sa-
crificij crucis, orando, vt in nobis efficax sit promi-
rita salus per sacrificij crucis, & nobis impartiatur.
Sic hoc Christus iussit fieri Lucæ. 22. Hoc facite. Et
quia hic est verus Christus, quē offerimus patri in Sa-
cramento, ideo etiam dicitur sacrificium, & est verū
& spirituale, & cæt. Notandum autem est, quod Christus
bis se obtulit: Primò, ad promerendam per san-
guinem suum salutem toti mundo, Hebr. 9. semel in-
troiuit in sancta sanctorum. Secundò, se obtulit in ce-
na ad faciendam memoriam peracti sacrificij sui in
cruce, idq[ue] sub speciebus panis & vini iuxta morem
Melchisedech: & sic secundo modo præcepit nobis,
quomodo nunc ipsum offerimus patri: dicitur au-
tem sacrificium, quia idem corpus & sanguis clarifi-
catur.

Secundo,

Secundò, non est testamentum Missa, iuxta som.
nium Luteri, quasi sacramentum hoc sit hic dere-
lictum tanquam testamentum Christi, ut quicunque
manducauerit, sit hæres regni, accipiat remissio-
nem peccatorum, &cæt. sed Missa est potius testa-
menti Euangeli Christi, & omnium actionum Chri-
sti pro nostra salute ratificatum, sicut sanguis ani-
mum fuit testamenti veteris ratificatus. Exod.
24,

Tertiò, nec promissio remissionis peccatorum
est Missa. Non enim ob manductionem & potatio-
nem est promissa remissio, sed ob traditionem cor-
poris, & sanguinis effusionem est promissa salus
credenti, Romanor. 4. Missa est memoria solùm
Christi passionis, & instituta ad memoriam, Luc. 22,
non ad remissionem peccatorum. Ergo non est sola
promissio. Hæc opinio, docens per potationem &
manductionem eucharistiae accipere remissionem
peccatorum, est contra intentionem Christi, qui di-
cit solùm esse memoriam &c. sed carnales multum
diligunt hanc opinionem.

Quarto, Missa est bonum opus. Nam obedire De-
o, est bonum opus. At Christus præcipit Luc. 22. Hoc
facite. At dices: Nos solum recipimus, & nihil da-
mus &cæt. Ergo, Respondeo, Quid habes quod non
aceperisti? 1. Corin. 4. & nonnè fides est opus bonum?
maximè Philipp. 1. Cōfidēs hoc ipsum, quia qui cœ-
pit in vobis opus bonū. &cæt. Et 1. Paralip. 29. Tua
sunt Domine &cæt. Nunquid non eleemosyna &
oratio sunt opera bona? sed etiam illa accepimus. At
tamen nos ea facere iubemur, & faciendo, opus bo-
num facimus. Hæc est fides catholica.

DE VESTIMENTIS AC

ceremonijs Missæ,

TITVLVS CVIII.

Primò